

BENE VORTAT!
DE
STATU CON-
TROVERSIÆ,

MODERATORE

VALENTINO *Wetthem*/
Moralium Prof. Publ. ordinario
& Facult. Phil. h. t. DECANO,

publice disputat,

JACOBUS *Ritter* / HALLENSIS SAXO,
AUTOR RESPONDENS,

ad d. August.

A. O. R. M. DC. LXXV.

J E N Æ,
Literis JOHANNIS WERTHERI,
Typographi Ducalis.

AUGUSTO· NOMINI
REVERENDISSIMI. MAGNIFICENTISSIMI. ET. MAXIME. GENEROSI
DN. FRIDERICI. ULRICI. AB. Hagen/
ALIAS. Geist DICTI
TOPARCHÆ. IN. Gruning/ ECCLESIAE. METROPOLITANÆ. PRI-
MATUS. ET. ARCHIEPISCOPATUS. MAGDEBURGENSIS
DECANI. SUMME. SPECTABILIS
VIRI. EXCELLENTI. STRENUITATE. SUMMISQVE. IN. REMPUBLICAM
MERITIS. EMINENTISSIMI
DOMINI. MEI. CLEMENTIS. ET. GRATIOSI. MECAENATIS. MAXIMI
PRO. ILLUSTR. STUDIORUM. SUBSIDIO. ABSOLUTAM. FELICITATEM
TOTO. ANIMO. PRECATUR

ET

EXERCITIUM. HOC. ACADEMICUM
UT. DEBITÆ. GRATITUDINIS. HOSTIMENTUM. ET. PERENNANDÆ. GRATIÆ
INCITAMENTUM. HUMILLIMO. DEVOTOQVE. ADFATU. SACRATUM. CUPIT
UT. ET

V I R O

PLURIMUM. REVERENDO. AMPLISSIMO. ET. EXCELLENTISSIMO
DN. FRIDERICO. WILHELMO
LYSERO

THEOLOGO. DE. ECCLESIA. CHRISTI. MERITISSIMO
ET. INDIES. EGREGIE. MERENTI
ECCLESIAE. METROPOLITANÆ. MAGDEBURGENSIS
PASTORI. LONGE. GRAVISSIMO
DOMINO. AC. PATRONO. MAGNO. EVERGETÆ. OPTIMO. FAUTORI
SUSPICIENDO. SUSCEPTORI. FILIALI. OBSERVANTIA. ÆTERNUM. COLENDO
E ANDEM. DISSERTATIUNCULAM
CEU. EVIDENTEM. GRATÆ. INDOLIS. INDICINAM. DEVOTA. MENTE
ET. MANU. CONSECRAT

JACOBUS. Ritter / HALLENSIS. SAXO
AUTOR. RESPONDENS



JESU Redemptori Sit Honor!

I.



Confusionem matrem esse errorum, tum *Aristotelis* auctoritas, tum (quod præcipuum erat) res ipsa, totque minus felices successus congressuum aliarumque Academicarum operarum testantur luculentissime. Sicut enim viator, qui certo quodam egrediens loco viæ primum infistit in varias semet scindenti partes, quarum altera ad scopum metamque itineris, cæteræ ad devia, inculta, gravia, periculosa abducunt loca, multum a vero tramite aberrare inque varias gravissimas vitæ difficultates conjicere se potest facilius, quam quo tendit pergere, aut speratum terminum consequi: Ita qui investigandæ ac eruendæ veritatis gratia dubii cuiusdam aggrediuntur ventilationem, præ nimia sensus vel significationis indistincta, ambiguitate, indeque orta obscuritate nondum feliciter remota, ad optatam certitudinis cognitionem sapissime pertingere nequeunt, quin imo ad majorem incertitudinem, atque etiam crassiores errores prolabuntur. Unde in quocunque disputandi vel discurrendi genere, semper progredimur eo tutius ac felicius, quo magis operam damus, ut quæstio artis logicæ regulis congruenter & perspicue proponatur. Quod si aliqua aut in verbis aut in ipsa oratione insit vel obscuritas vel ambiguitas, non ante quæstionis analysin & tractationem aggredi oportet, quâ obscura explicata, ambigua distincta fuerint. Interest ergo quam maxime, planum atque perspectum habere, quid, quomodo, quo sensu, quave significatione inter nos & Antagonistam agatur, h. e. iustum ac legitimum nosse contro-

A

fix

siæ statum. Hunc enim si quis ignorat, quæstionem primariam & genuinam, cui inhærendum, ignorat; de ignota autem & adhuc latente quæstione quomodo poterit disputari? quomodo quæso disputator legitime concludet adversus alterum, si non intelligat quid in quæstione sit? quomodo alter de conclusione ab altero facta iudicium ferre poterit, si non satis percipiat quæstionem? unus de alliis, alter de cepis disputabit. Hinc certe quivis, qui saltem e longinquo vidit disputandi methodum, optime cognoverit, rite ac legitime formandum esse statum cujuslibet controversiæ, quamvis adhuc nesciat, quo ordine, quave ratione formari possit aut debeat, utpote quod posterius membrum abstrufius paulo altiorisque indaginis res est. Nos quidem hoc in præsentiquoad nostra ingenii imbecillitate fieri poterit atque per tempus & chartam licebit brevi facta consiliorum commemoratione ipsa praxi ostendemus. ANNUAT SACROSANCTA TRINITAS HIS COEPTIS BENIGNISSIME.

II. Atque ut id, quod suscepimus, decenter peragamus, nec in eo explicando hallucinemur, primo clarius aliquantum, quid vocetur STATUS CONTROVERSIÆ, quantum pro ingenii modulo fieri potest, deducemus. Perspicuum autem est vel cæco, *Statum controversiæ* complecti duo: *Controversiam* & *Statum*, sive præ sive post ponatur alterutrum horum vocabulorum, & *status controversiæ* sive *controversiæ status* dicatur. Utramque vocem & seorsim & conjunctim spectabimus.

III. Controversia notat quæstionem, non tamen quamvis: Omnis quippe controversia est quæstio, sed non omnis quæstio est controversia. Nam ad quæstionem sufficiunt duo: Unum, de quo quæritur. Alterum quod quæritur. Exempli causa: An jus naturæ sit immutabile? An ex sua natura ac per se honestum vel turpe detur? An gentes omnes aut multæ communi jure voluntario inter se obligentur? An pietas naturalis sit summum bonum morale per excellentiam tale? An pietas naturalis sit vera pietas? An pœnæ sint justæ etiam in sensu agente, num saltem in sensu negante? Num jus
na-

naturæ dicet, quis debeat punire? An Societas dari possit sine jure rectorio? An summa potestas in civitate possit esse penes uno plures? An princeps possit habere dominium supereminens in bona subditorum? Sunt autem quæstiones duplicis generis: Vel enim disputationis, vel nudæ informationis gratia proponuntur. Illas, quæ nempe disputationis gratia fiunt, controversias: Has, quæ videlicet informationis gratia moventur, καὶ ἐξοχὴν quæstiones in *Scholis Logicis* dici audias. Paucis: Ut disputator & quivis alius auditor, ita controversia & quævis alia quæstio inter se differunt.

IV. Rem ex genuino fonte suo derivabimus: *Primo*, Naturam Logices consistere in eo, quod sit habitus cum recta ratione efficiendi conclusiones, omnibus, qui accuratiori judicio *Logicam* excoluere, notissimum esse supponimus. Jam vero nihil concluditur, nisi quod erat in quæstione, hoc est, ex quæstionibus fiunt conclusiones. Id propter *Logicam* definire per *artem inveniendi veritatem vel opinionem* est *Logicam* dicere habitum cum recta ratione efficiendi conclusiones scibiles vel probabiles; Seu, artem concludendi scientiam vel opinionem. Vel, quod eodem redit, saltim generalioribus terminis effertur: artem cum ratione respondendi ad quæstiones. Nam cum ratione respondetur ad quæstionem, si ita respondeatur, ut ratio, per quam respondetur ad quæstionem, includi possit syllogismo, cujus conclusio sit quæstio proposita. Id movit nonnullos, ut quia opus artis *Logicæ* primum ac præcipuum est conclusio, primum ac præcipuum objectum artis *logicæ* quæstionem dicerent, quia id est in conclusione, quod fuerat in quæstione, hisque terminis, quibus nunc conclusiones, quæstio prius absolvebatur, nec ab hac sententia ipse *Philosophus* adeo procul abesse videtur. *Deinde* constat palmarias ac præcipuas *Logicæ* partes esse *Analyticam & Dialecticam*, quæ quidem conveniunt inter se *sine*, qui est efficere conclusionem, seu, ut vulgo dicitur, conclusio efficienda: *objecto*, quod sunt quæstiones: *organo*, utriusque enim organa sunt syllogismi, uti quidem præcise præmissas dicunt: *opere*, quod est conclusio: *subjecto*, quod sunt is, qui

concludit, & is, cujus gratia concluditur: differunt tamen inter se *sine*, qui ex parte *Dialectica* est efficere conclusionem probabilem, seu quod idem est, opinio concludenda: ex parte *Analytica* est efficere conclusionem scientificam, ut loquuntur, seu, quod eodem tendit, scientia concludenda. *Objecto*, cum *Dialectices* objectum sint quaestiones ita comparatae, ut relinquunt alicui liberum arbitrium, ut pro lubitu eligere possit alterutram, quae modo placuerit, contradictionis partem, quae vulgo *quaestiones Dialecticae* vocantur, ut ex opposito *Analytices* objectum sint quaestiones, quae qua tales certo determinant unam contradictionis partem, ut non sit licitum ad hujusmodi quaestiones nisi id quod verum est, respondere, adeoque in utramque contradictionis partem hujusmodi quaestiones institui nequeant. *Organo*, *Dialectices* quippe organa sunt syllogismi, ut dicunt praemissas, quae sunt principia communia hominumque opinionibus consentanea, quae pariunt cognitionem mobilem, redduntque hominem, ut *Philoponus* ait, *εὐκίνητον καὶ ἐτεροκίνητον*, in utramque partem mutabilem, nutantem & fluctuantem in cognoscendo: *Analytices* vero organa sunt syllogismi, ut dicunt praemissas, quae sunt principia propria, certo & necessario vera, immediata, quibus homo in cognoscendo redditur *ἀμετάπλωτος* & ut *Plato* loquitur, *πτεράγων*, immobilis & quadratus, ut semper stet sciens, nec ullo probabilium, multoque minus Sophisticarum rationum impetu queat de scientiae tramite dejici, sicuti quadratum corpus (cubus) quomodocunque jaciatur, semper ita cadit, ut rectum permaneat. *Subjecto*: Subjectum enim *Dialecticae* hodie sunt disputantes, opponens & respondens, item praeses, respondens & opponens, nisi praesidem & respondentem consideres, si cum Germanis loqui liceat, ut stant pro uno viro: Olim erant interrogans & respondens, ut ex *libris Dialecticis Aristotelis* liquet, ubi prolixè de officio interrogantis & respondentis egit: *Analytica* vero subjectum sunt Doctor & Auditor, Praeceptor & Discipulus. Ut alias convenientias aliaque discrimina taceamus, nihil quoque nunc dicamus de eo, quod non sine omni probabilitatis specie in *rationali Philosophia Aristote-*

Aristotelis versatissimi Viri Dialecticam & Analyticam specie distinctas disciplinas credant eo facilius, quo curiosius adducta aliaque utriusque partis Logices discrimina speculantur. Inde tertio notandum ducimus, quod, sicut *Dialectica* est habitus cum recta ratione efficiendi conclusiones probabiles ex propositis quibuscunque problematibus: (per *problematia* intelliguntur *questiones Dialecticæ*, quas modo a *questionibus Analyticis* distinximus & in utramque partem quæsitu possibiles diximus) Ita controversiæ sint quæstiones istæ, quæ & quatenus objectum *Dialecticæ* sunt & dicuntur. Inde *Dialectica* vulgo definitur, quod sit *ars bene & decenter controversendi*, *Aristoteles* eam 1. statim *cap. l. 1. Top.* definit, quod sit μέθοδος, ἀφ' ἧς δυνασόμεθα συλλογίζεσθαι περὶ πάντων τῶν προστεθέντων προβλημάτων ἐξ ἐνδόξων, καὶ αὐτοὶ λόγον ἔχοντες μηδὲν ἐρεῖν ὑπὸ ἀναπίον: *methodus* (doctrinam intelligit aut disciplinam in certum ordinem redactam) per quam possumus argumentari de omni proposito problemate ex probabilibus, & abstinere ab omni repugnanti, si de questione controversemur, aut quid disputando defendamus. Videatur ipse *Aristoteles* integro primo *Topicorum* libro, maxime vero *capite primo, tertio, octavo & nono. Conf. lib. 1. poster. Analyt. maxime cap. 2.* Inter *Græcos*, quod sciamus, præ cæteris feliciter hanc *Aristotelis* doctrinam profecuti sunt: *Alexander & Simplicius*, ille *Topicam*, hic *Analyticam*. E *Latinis* commendantur *Petrus Johannes Nunnesius, Raconius, Michael Piccartus, Philippus Scherbius, Caesar Cremoninus, Jacobus Mazonius, Viottus, Matthias Flacius Medicinæ D. & Rostochiensis olim Professor*, Vir incomparabilis in *Analyticæ Doctrinæ* ad *Philosophiam civilem* accommodatæ studio *Hermannus Conringius*. Qui ex hac *Aristotelis Philosophia* nucleum desiderat, adeat *Dn. D. Eridemanni Bechmanni*, Præceptoris nostri summe devenerandi, *Logic. Instit. lib. 1. c. 1. Lib. 4. c. 1. & Lib. 5. c. 1.* ubi enucleate hanc rem docuit.

V. Addimus obiter sequentia: Unum est, quod alii inter *scientiam de arte analytica & dialectica* atque ipsam *artem analyticam & dialecticam* distinguere solent: alii vero *artem analyticam & dialecticam* ratione θεωρίας & ratione ποιήσεως spectandam pronuncient, quibus tandem indicatur non esse

cur solidam doctrinam de quaestionibus desperemus, quia potissimum *Dialectica* & *Analytica* objectum sunt quaestiones. *Aristoteles Analyticam* definit ἐπιστήμην τῆς τῆς ἀποδείξεως, scientiam de scientia & demonstratione. Alterum est, quod licet remotius penetrantibus perceptu difficile esse nequeat, qua ratione omnes omnino disciplinae & *Analyticam* & *Dialecticam* tractationem admittant: (Fieri quippe potest, ut quis disputet solidae scientiae alterius animo ingenerandae causa, vel etiam doceat accomodate ad alterius captum solidasque doctrinas alteri eatenus proponat, quatenus videt eas alterius opinioni appropinque consentaneas, & sic quodammodo Analytice disputasse vel etiam Dialectice docuisse forte diceretur. Quid? quod quemadmodum absurdum non est idem principium alio atque alio respectu esse Analyticum & Dialecticum, Analyticum quidem si referatur ad rem ipsam; Dialecticum vero si referatur ad hominum opinionem: Saepe enim Dialecticus syllogismus ex veris quoque constat, imo etiam ex necessariis, sed non considerantur haec in Dialectica ut vera, nec ut necessaria, sed ut hominum opinioni consentanea, ceu praclare docet *Dn. Frid. Bechmannus*, Doctor noster omni observantia colendus, *Institutionum Logicarum libro quinto, cap. 2. §. 7.* sic quoque absurdum neutiquam statuamus eandem quaestionem alia atque alia ratione Dialecticam & Analyticam, controversiam & non controversiam censerem) tamen cum a potiori fiat denominatio, nihil causae sit, cur non absolute controversiae dici potuerint quaestiones, quae & quatenus objectum (primarium) *Dialectices* audiunt. Tertium est, quod licet *Rhetorica* & *Dialectica* non raro circa eandem quaestionem occupentur, hoc tamen assertis nostris nihil obstet, cum *Dialectica* magis occupetur circa problemata infinita & universalia, *Rhetorica* vero praeter hoc, quod primario tractet quaestiones in materia civili, potius pro objecto habeat quaestiones finitas & singulares atque cum limitatione circumstantiarum, quae sunt: locus, tempus, causa, personae &c. (de his enim circumstantiis sunt iudicia, consultationes, laudes & vituperia) Accedit etiam, quod *Rhetorici* potius eo respiciant, quomodo copiose & ornate queant concludere. Quartum denique est, quod mate-

materia præsentis dissertationis nostræ non careat suis commodis ac certe necessariis egregiisque utilitatibus. Quippe dialecticis velitationibus h. e. iis quæstionibus, quarum gratia unice uniceque *Dialectica* est, animi ad scientias solide & cum insigni emolumento in Academiis percipiendas præparantur. Nam ut corpori non conducit, si detentum ante in densissimis tenebris subito in meridianum Solisubar educatur: neque enim splendorem illum ferre potest; ita nec animæ, si ad veritatem: siquidem & hæc fulgore oculos perstringet mentis ejusque aciem hebetabit. Quod enim oculus est in corpore, mens est in anima, hinc *Aristoteles* ὄψιν ὀμια τῆς ψυχῆς *oculum anime* appellat. Corpus in opacum educi primum locum, deinde in lucidiorem & sic deinceps debet: ita animus dialecticis velitationibus primo imbui, non analytica rerum tractatione statim fatigari. Hac eleganti similitudine *Michael Piccartus* utitur. Quemadmodum trabs firmiter terræ infixæ erui nequit, nisi prius moveamus in hanc & illam partem: Sic nec veritas, quæ profunde rebus immersa est, poterit ope *Analyticæ* a nobis inde erui, nisi de ea ante dubitetur mediante *dialectica arte*, hinc dubitatio ab *Aristotele* dicitur *via ad veritatem III. Metaph. c. 1.* Ut ex filice ignis nunquã resultat, nisi allidatur ad chalybem: Ita quoque scientia & exquisita veritas elucescere nequit, nisi ex utraque parte sententiarum & rationum bene instituta fuerit dubitatio. Naturæ certe ductu quilibet insistit viæ, ut inveniatur suum, ad quem tendit, terminum: At *ars dialectica* viam sternit ad abditos scientiarum recessus h. e. ad *Analyticam*, quæ omnem modum sciendi continet. Jam vero præcipua ex dialecticis doctrinis, ut progressus dissertationis aperiet, est ea, quæ de statu controversiæ recte formando agit, & unde plurimæ doctrinæ aliæ, maxime processus disputandi pendet.

VI. Vox *status* ex *Philosophia Theoretica* originem trahens translata fuit ad *præcticas*, etiam *Logicas Scholas*. Nempe *Theoretica Philosophia* gnari statum actui contradistingunt: *Actum* enim vocant translationem rei ad certum terminum, permanentiam vero rei sub eo termino, ad quem traducta est (qua latinitate vulgo efferri solet *Philosophia de statu*) *statum*

nun-

nuncupant : Ita calefactio aquæ est actus, quia sic aqua traducitur ad terminum nempe calorem, quando calida redditur. Quamdiu igitur aqua manet calida, tamdiu censetur durare, status aquæ: Nam si vicissim frigeat, pristinus status aquæ rediisse dicitur. Inde facilis datur applicatio notionis *status* ad *controversiam*, ut mox apparebit, si has voces *status controversiæ* conjunctim sumtas explicemus, quamvis vix opus sit proluxa explicatione ejus, quod quilibet in Dialecticorum Scholis vel audito nomine percipit facile.

VII. Lubet interim adducere doctissima Philosophi celeberrimi, *Cornelii Martini, Professoris Publici in incluta Academia Julia* olim clarissimi, verba, quæ habet in *Libelli sui de Analyfi Logica* plane eximia parte, quæ prior est *de Analyfi formæ c. 2. p. m. 23.* quando ita differit: *Cum itaque resolvendo inquirat Logicus, an quæ adferuntur, omnia recte comparata sint ad veritatem, primum ejus officium erit, ut, quid quaratur, prorsus exacte constituat. Nisi enim id exploratissimum sit, frustra omnis instituetur disputatio. Vocant autem vulgo controversiæ statum, qui tibi constituendus est exquisitissime, ut dixi, & videndum, qualis sit quæstio. Conf. D. Job. Conr. Dannbauer. Id. B. D. sect. 1. c. 3. art. 1. §. 36. p. m. 87.* Hinc patet statum controversiæ esse verum, justum ac genuinum quasi quæstionis controversæ medium, ex quo utrumque extremum, h. e. dissensus ex asse judicari & æstimari queat debeatque. Nam, ut similitudinibus utamur, circuli centrum punctumque intermedium unice ostendit, an extrema æque distent, aut alterum eorum magis acclinat, alterum declinet. Examen librilis indicat quodvis superpondium aut æquilibrium. Ex mensura cognoscimus, utrum quid abundet vel deficiat. Pari modo vero quæstionis aut controversiæ statu metimur quodlibet responsum, an prorsus coincidat, an, si secus, in defectu vel excessu decedat, i. e. an subjecto plus vel minus quam prædicatum quæstionis, aut vice versa, tribuat. Consistit autem status cujuscunque quæstionis controversæ in sensu ejusdem decenti, genuino, conformi atque ab auctore sive quærente probe determinato, ita ut illum tenendo & observando semper responsum esse necessum fit.

fit. Quisquis enim controvertere volens ad controversiam non responderit sic, ut statum controversiæ teneat, quod ipse non intendit, negabit, nullam cum altero habebit aut instituet controversiam, adeoque nec conveniet, nec quoque cum ipso pugnabit. Hic igitur sensus, quem non nisi unicum esse oportet, qua ratione possit perspicui ac deprehendi, videamus nunc paucissimis.

VIII. Apparet autem ex antecedenter dictis ob multiples variasque vocum, ex quibus quæstio constat, significationes certum formari quæstionis statum; Ortum vero trahunt istæ ex ea, quæ in quæstione latet, ambiguitate, in cuius detectione ac dissolutione summa versatur negotii, quod & innuit doctissimus *Flacius citato opere Logico in Organon Aristotelis, L. 1. c. 11. p. m. 842.* ita inquit: *Ad investigationem quacunque quæstione proposita nihil magis necessarium est, quam ambiguitatem, quæ in verbis aut oratione est, distinguere & explicare. Ple- rorumque enim errorum mater est ambiguitas, quæ facit ut res di- versas sub eodem nomine confundamus in unam.* Quibus verbis simul exponit ambiguitatem esse duplicem, alteram quæ consistit in tota oratione, alteram quæ in simplicibus vocabulis. Vid. *Michael Piccartus in utilissimo libello, Synopsi Organi L. 2. Top. c. 3. p. m. 207.* Totius orationis ambiguitatem quod attinet, nasci solet potissimum inde, cum vel dubie oratio con- struitur, uti hæc: Ajo te Æacida Romanos vincere posse; vel simplicia aut partes ipsius transponuntur, ut: In loco quod non est non movetur; vel minus recte distinguntur, ut: Quicquid vivit semper immortale est. Huc spectat illud Oraculi responsum: DOMINESTESSECUREHOSTES SUAVITERINTRABUNT TERRAM TUAM ET SUBJICIENTUR DOMUITUÆ. Quod responsum in sensu longe alio Rex acceperat, alium vero sensum Oraculum postea indicabat, & quidem hunc: Domi ne stes secure, hostes sua vi ter intrabunt terram tuam, & subjicient UR (Chaldaicum vocabulum & significat ignem) domui tuæ. Item istud Consilia- rii metu gravissimo crudelissimæ mortis coacti conjurationi subscribere: REGEMOCCIDERENOLITETIMEREBO-
B NUM

NUM QUIPPE EST ET SI OMNES CONSENSERINT
 EGONONREFRAGABOR. Ex quibus verbis conjurati
 subscribentis consensum in Regicidium collegerant, ipse vero
 detecto conjurationis scelere se a conjuratione integrum esse
 Regi, cui hocce scelus aperuerat, hunc sensum monstrando
 docuit: *Regem occidere nolite: Timere bonum quippe est. Et si
 omnes consenserint. Ego non. Refragabor.* Verborum vero
 singulorum ambiguitas provenit ex homonymia vel casu vel
 consilio illis indita. Quæstionum ergo talismodi ambigui-
 tatibus laborantium ut primarius verus & naturalis, isque ab
 autore sapiente ac probo intentus protrahatur sensus, spurii
 vero, vitiosi, non literales atque à scopo alieni, quos cum *D.*
Dannh. in Id. B. J. part. I. sect. 2. Art. 6. §. 34. p. m. 50. usus & lusus re-
 ctius quam sensus nominaverimus, removeantur, pro varie-
 tate Disputationum varie quoque nobis erit agendum.

IX. Quando namque cum præsentem contendimus, il-
 lum, ut quæstionem propositam liberet ambiguis, suamque di-
 stinctius exprimat mentem, juste monere possumus, quemad-
 modum hoc ipsum probat *Aristoteles L. 8. Top. c. 3.* dum ait: *Δέδοται τῷ ἀποκρηνομένῳ μὴ μανθάνοντι, εἰπεῖν ὅτι ἔ μανθάνω καὶ
 πλεοναχῶς λεγομένῳ, μὴ ἐξ ἀνάγκης ὁμολογήσαι ἢ ἀγνήσασθαι,
 δῆλον ὡς πρῶτον μὲν, ἀν μὴ σαφὲς ἢ τὸ ῥηθὲν, σὺ δὲ ἀποκνητέον τὸ
 φάναι μὴ συνίεναι.* *Ei qui respondet, si minus intelligat, licet dice-
 re: non intelligo: Et quod multis modis dicitur, non necessario id
 aut concedere aut negare debet: profecto si quid asseratur, quod
 obscurum sit, sine ulla dubitatione Et mora se id non intelligere fate-
 bitur.* Et *Piccartus super h. l. p. m. 393.* scribit: *Si verbum ali-
 quod ponatur in interrogatione, quod respondens non capiat, licet
 respondenti dicere se verbum illud non capere, adeoque interrogare,
 in quo significato interrogans accipiat, estque hoc peccatum inter-
 rogantis non respondentis.* Inde vero non est, cur existimes ac
 si cuivis liceat pro suo lubitu acceptiones vocum fingere, ut
 inde jus quæsitum habeat, ne quis ipsum refutet nisi prius
 quæsitum, quomodo acceperit terminum, quod est contra
 communem eruditorum cordatorumque Virorum consen-
 sum, qua de re suo loco.

X. Quod

X. Quod si vero cum absente res sit, ipsimet illum eruer laborabimus sensum, quem præ cæteris intendisse Auctor præsumitur ac præsumendus est. In orationis totius ambiguitate facile linguæ gnarus naturali quodam ductu se expediet, nec opus habebit certis aliquibus præceptis aut regulis, unde sciat, in quonam sensu sit sibi subsistendum. Nec adeo frequenter ejusmodi amphiboliæ in disputando occurrunt, sed rarius iisdem figi crucem respondententi scimus: quilibet enim cordatus quantum potest iisdem abstinet, quia si proferret, metuendum sibi esset, ne fallaciarum, quæ in dictione formantur, argueretur: confestim enim fraus prodit seipsam. Quare ipsis citra necessitatem non invigilabimus, sed potius adversus communiora eaque graviora pericula nos præmunemus. Et hæc sunt, quæ ex vocabulorum ambigüe dictorum injectione imminet: Præprimis vero quæ consilio sunt homonyma sæpissime nosmet confundunt; utpote quorum fraudulentata vis & efficacia in ea, quam unum cum altero habet, cognatione latet & rarissime neglecta investigatione apparet, utrum eorum sit apprehendendum. Casu autem quæ sunt talia, crassiora quasi sunt, & toto cælo ab invicem distantia, indeque in oculos animumve cuius alterum illud, in quo standum, incidit: quam ob causam quoque non injuste hæc posteriora, suadente temporis chartæque angustia seponere poterimus, visuri eo magis, quid priora sibi requirant.

XI. Advertendum igitur hujus generis, quod nostrum fecimus, ambiguitates ostendere sese vel in vocibus communibus, vel in terminis variis disciplinis propriis, quos *Aristoteles* ὀρθῶν nomine effert. In illis quas deprehendimus, gignuntur ex diversa vocum significatione propria & impropria. Propria est prima & communissima, quam absque cogitatione prioris, unde hæc ob certum quoddam fundamentum deducatur, omnes cum ipsa voce simul concipimus: Ut audita voce hominis nihil prius cogito, quam animal rationale, bipes, risibile; Leonis animal ferum, rugiens, fortissimum; Adulterii voce voluntariam pollutionem alienæ uxoris; furti voce contractationem rei fraudulosam lucri faciendi gratia, vel ipsius
B 2 rei,

rei, vel etiam usus ejus possessionisve. Improperia, quæ & tropica dicitur, ea est, quam non statim voce audita, sed svadente demum aliqua necessitate concipimus cum cogitatione, fundamenti alterius cujusdam significationis: Sic voce vulpis audita concipimus veram vulpem: Sed cum Herodem audimus vocari vulpem, non potest in illa significatione vox vulpis fumi, cum repugnet Herodem esse tale brutum, & proinde necessitas suadeat, ut aliud concipiamus voce vulpis, scilicet hominem vulpina astutia præditum. Rationem, cur significationes unius vocis diversæ sint introductæ, pulchre declarat ex Aristotele Dn. D. Johannes Musæus, Præceptor noster æternum devenerandus, egregiarum dissp. de vocum significationibus l. 5. 4. qui videatur. Verba Philosophi l. 1. Elench. Sophist. c. 1. hæc sunt: *Nomina quidem finita sunt, & orationum multitudo finita; res vero numero infinite sunt: necesse igitur est, plura eandem orationem & nomen unum significare.*

XII. Ex his, quas modo vidimus, diversimodæ significationis descriptionibus illa profluunt consilia, quæ in cognoscendo & investigando cujuscunque quæstionis vero & intento sensu adhiberi est necessum, quæque a præcipuis *Logicis* in Scriptis eorum *Dialecticis* passim suppeditantur. Et docent quidem illi omnis quæstionis propositæ, in qua subolet nobis ambiguitas, vocem istam dubiam, quæque obscuram reddit, controversiam, probe esse ponderandam & primo omnium, aggrediendam significationem ejusdem propriam tanquam primariam atque natura & nobis notioem, ita ut initio semper in ea persistere tentemus. Jubet hoc quidem ordo naturæ, ut ab eo, quod ubique præsupponitur, incipiamus; jam autem impropria significatio semper præsupponit propriam, a qua quippe dependet. Deducit hoc egregie *Dannh. Id. B. 1, P. 1. Sect. 3. art. 2. §. 51. p. m. 85.* auctoritatibus *Seneca*, qui *summa*, ait, *dementia est detorquere illam orationem cui rectam esse liceret.* *B. Joh. Gerhardi*, Theologi de universa Christi Ecclesia, dum viveret, meritissimi, hic enim eleganter ita differit *tom. 7. S. 1.* *Qui in communi vocum notione in intelligendo aliquo scripto consistit, is velut in communi via suaque possessione consistit: ut si quis*
cum

eum inde præsertim in controversia ac lite depellere velit, eum valde bonis ac evidentibus argumentis instructum esse oporteat. Bellarmini L. 1. de Euch. c. 12. §. sed tota. Cur sequamur proprium sensum, non debent a nobis petere adversarii, simile enim id esset, ac si quis quaereret ab iis qui sunt in itinere, cur sequantur viam communem & tritam, vel cur ingrediantur per portam, non fenestram.

XIII. Propria significatione perspecta videre monent Interpretes, num eo in sensu, quem parit vocis ambiguae significatione propria, tolerari possit quaestio, an vero cum principiis sanæ rationis pugnet, dum consequentia & antecedentia, talem vocis significationem respiciant illamque juxta se stare, non patiantur. Sic enim Piccartus in 2. Top. c. 4. p. m. 213. Videndum est, inquit, an tale quid in problemate ponatur, cujus consequentia ipsum postea tollet: Et hoc si appareat, necessitas adest sufficiens, quæ a propria abire nos cogat; sin minus, in ea permanendum; quemadmodum etiam docet Vir insignis judicii D. Georgius Calixtus in digress. de Arte Nova p. m. 179. Hinc itaque, ait, non recedatur, nisi necessitas recedendi manifesta incubuerit, vel evidenter ostensa fuerit. Nam si absque manifesta necessitate recedere, & alienam ab usitata & communi significationem verbis affingere fas sit, nihil non modo in scripturis, sed nec in aliis scriptoribus certi remanebit. Nempe sensus erit, non quem verba exigunt, nec quem scriptor significare voluit, sed quem lector aut interpres imponit, & alius quidem atque alius, prout hic alius atque alius fuerit vel aliud atque aliud senserit. Infert autem tantam necessitatem aperta & inevitabilis contradictio, sive certa ac manifesta absurditas, quæ ex propria vocis significatione refulsultat; cum enim contradictoria simul vera esse nequeant, sed alterum eorum necessario verum sit, alterum falsum, medium adhibendum omnino est, quod contradictionem faciat expirare. Huc illa spectant Hugonis Grotii l. 2. de Jure Bell. & Pac. c. 16. §. 12. num. 2. Ad significationes autem plane improprias non recurrendum, nisi alioqui absurdum aliquid sequeretur. Ex contrario verba etiam strictius, quam fert proprietatis, sumenda erunt, si id necessarium erit ad vitandam iniquitatem vel absurditatem. Exemplis res fiet dilucidior. Hominem

hunc vel illum dici leonem frequens comprobatus usus, hoc si quis acciperet utrobique servata significatione propria, prodiret sensus hujus tenoris: animal illud, quod est rationale, bipes, risibile, est animal tale brutum, quadrupes, ferum horridum, fortius, lanians; qui sensus sane ob gravissimam contradictionem adeo absurdus est, ut de eo nec cogitari debeat: Si enim est rationale animal, non est brutum sive irrationale, si est bipes, non est quadrupes &c. Quando inflammari aut accendi hominem amore dicimus, absurditas prohibet, quo minus propriae inhæreamus significationi, nam si ea procederet, canes pejus & angue fugerentur foemellæ. Oculum, manum, pedemque scandalizantem cum Christus jubet eruere atque abscindere, absurdus esset, qui proprie hæc intelligens se ipsum læderet: hoc enim si intendisset Auctor, omnes cæci, mutili ac claudi incedere deberemus. In Theologicis controversiis talismodi necessitas erit, si propriam significationem fidei puræque Christianæ veritati vim facere sentiamus. Vidit hoc *Matthias Flacius, Illyricus*, qui *Clav. Part. 2. Tr. 4. de Trop.* scribit: *Verba sacrarum literarum proprie accipienda sunt, nisi loci sensus in aliquem articulum fidei aut Charitatis præceptum propalam incurrat, & simul alio evidentiore illustrioreque oraculo ejusdem figuratus sermo detegatur probeturque &c.*

XIV. Rebus itaque sic comparatis *in ambigua voce ea potius accipienda est interpretatio, quæ vitio caret*, ut loquitur *Grotius de Jur. Bell. & Pac. l. c. §. 6.* & mittenda demum propria significatio, adque impropriam deveniendum, cujus deprehendere licebit semper certum fundamentum, unde vox habeat, quod improprie de altero dicatur, aut alterum ei tribuatur: Est enim fundamentum illud habitudo rei, quam vox proprie significat, ad rem, quam improprie denotare comperimus. Sic fortitudo vel feritas aut crudelitas fundamentum est, ob quod de homine leo improprie dicitur. Item astutia est id, ob quod vulpes prædicatur de Herode, æque enim illi quam huic competit, & ambo ea sibi invicem sunt similes.

XV. Dantur præterea varia locutionum genera, in quibus dijudicandis necessitas illa non præluet, dum absque contra-

tra.

tradietione omnique absurditate, tam in propria, quam impropria significatione considerare possumus: ut si dicatur lupum esse captum, Turcam occisum, Romam perditam, praedicata quaelibet de suis subjectis in nativo pariter ac improprio significatu intelligi possunt, cum nulla inde metuenda sit contradietio aut absurditas, Lupus enim uterque pedestris & aquatilis revera capitur sapissime; Turcam Barbarum, & canem crudelem occidi, neutrum sane repugnat; Romam urbem, illamque albam Imperatoris gallinam potuisse perdi nemo negat. In his ergo & similibus regulae instar fit illud, quod *Grotius* habet *l.c. §. 12. n. 2. p. m. 438. At si non talis est necessitas, sed manifesta equitas vel utilitas in restrictione, subsistendum erit intra arctissimos terminos proprietatis, nisi circumstantiae aliud suadeant.* Facilius igitur hic cognosci poterit, de quo Auctori fuerit sermo, si inquiratur, quid illum ad loquendum impulerit, quae occasio se ipsi praebuerit, ut hunc in modum loqueretur; finis quoque, cujus gratia quid sit dictum, ut & aliae per plures circumstantiae, quae pro diversitate contextus cum ipsa dicendi formula, concurrunt, adjuvant nos quam maxime in eo investigando. Inculcat hoc optime *Danh. Id. B. 1. part. 1. sect. 3. art. 7. §. 84. p. m. 153* *Intelligentia dictorum ex causis dicendi depromenda est, ut habet vetus proverbium hermeneuticum: Per causas dicendi intelliguntur praecipue causa impulsiva, sive occasiones & finales, quae uno nomine scopus appellantur. Hic itaque cum primis Interpreti attendendus erit, qua videlicet occasione & quo fine auctor aliquis scripserit. Et D. Andreas Keslerus Log. Photin. sect. IV. de ratione disputandi Princ. 7. Exam. §. 2. p. m. 365. sic differit: Unicus dum est unius loci sensus, quem auctor intendit, ut supra declaratum est. Ita etiam in uno loco unius vocis una est significatio, non plures. Hae unica significatio adminiculis verae interpretationis elicitur, ut ex consideratione circumstantiarum textus, antecedentium & consequentium collatione, more loquendi auctori sive scriptori usitato, aliorum locorum comparatione. Proinde etiam Jcti de suo objecto asseverant, incivile esse de verbis quibusdam legis velle judicare, non inspecta lege tota. Prolixiorem horum deductionem praefens pagella non capit, & frustra certe singularum hujus-*
mo-

modi variationum susciperemus persecutionem, cum fere sint innumerae, ac insuper quivis mediocri saltem iudicio praeditus sponte eas in dicto obviente examinare valeat.

XVI. Terminorum tandem percurramus ambiguitatem. Et horum tum artificialium tum realium penetratio atque exacta aestimatio plurimum ad tenendum controversiae statum confert. Nihil enim in disputationibus magis experimur solitum, quam quod ipsos confundendo aut immutando impediatur conclusio. Confundendo quidem, dum diversas potestates, quae saepius uno vocabulo ex variarum disciplinarum artiumve impositione competunt, miscemus, nec debitam ex illis significationem debito loco & pro ratione materiae five quaestionis adhibemus. Hoc autem vitium ut imposterum evitemus, menti semper quam primum habeamus infixum, qua ratione unus talis terminus in quaestione propositus in pluribus obtineat civitatibus, i.e. in quantum pluribus facultatibus, scientiis atque artibus sit communis, num saltem quoad nomen, ut significationes prorsus differant; an vero quoad nomen non solum, sed & quoad esse significatum ex parte tamen mutatum; an denique quoad nomen & significationem omnimodo retentam. Ponderemus postea qualis cujusque generis sit quaestio, num Theologica, num Juridica, num Medica, num vero Philosophica; & si Philosophica, an practica, an metaphysica, an physica, an logica. Quod unde sit cognoscendum, abundantius Dn. D. J. Musaeus, Praeceptor noster pie devenerandus, in aureo *Tractatu de Usu Princ. Rat. & Philos. in Controv. Theol. Nicol. Vedelii Rationali Theologico potissimum opposito* L. 2. c. 1. §. 2. 3. 4. seqq. p. m. 282. seqq. docet, dum scribit: *Keckermannus, cum quo & alii faciunt, aestimat quaestiones ex terminis, & Theologicas dicit, quarum vel utramque vel alterutrum extremorum Theologicum est, h. e. solius Theologiae ita homogeneum, ut in nulla alia disciplina tractetur, quam in hac sola, ut in system. Log. Plen. L. III. sect. II. c. IX. loquitur. Et quidem si utrumque extremum Theologicum sit, quaestionem puram, sin alterutrum tantum mixtam vocat. Quae opinio vel ob hanc causam rejicienda est, quod quaestiones in Theologia dentur, quarum neutrum extremo-*

rum

rum Theologicum est, quales sunt, an in una essentia Divina tres sine personæ realiter distinctæ? an idem numero corpus demortuum aliquando resurrecturum sit? quid enim essentia Divina sit, quid personæ, quid tres personæ realiter distinctæ, quid porro idem numero corpus, quid mori & resurgere sive in vitam redire notet, non est solius Theologiae ita homogeneum, ut in nulla alia disciplina tractetur, quam in hac sola. Cum philosophia ex suis principiis ea singula explicare possit. Ex quo sequeretur, quod illæ & aliæ similes quæstiones non essent Theologicae dicendæ, quod absurdum est. Vide quæ supra etiam in cap. XIII. §. XLV. hac de re dicta sunt. Aliunde ergo, pergit §. 3. quæ ex terminis in se spectatis, judicandum est de quæstionibus, ad quam disciplinam pertineant: Scilicet, ut videtur, ex medio potius, a quo tanquam a principio proprio ratio unionis extremorum dependet: ut ita ex eo, quod unio extremorum a principio Theologico dependeat, quæstio Theologica denominetur: id quod etiam de reliquarum disciplinarum quæstionibus valet. Dicimus enim physicam quæstionem, quæ ex Physicæ; metaphysicam, quæ ex Metaphysicæ; Juridicam, quæ ex Jurisprudentiæ aliquo proprio principio deducitur &c. Rationem hujus asserti solidissimam & auctoritates præcipuorum scriptorum addit in seqq. quæ videantur.

XVII. De utroque hoc si certiores facti sumus, tribuamus ambiguos istiusmodi terminos, quorum nudum nomen variæ participant disciplinæ, justis quæstionibus secundum, justa sua significata, ita scilicet, ut statum faciamus in significato Logico, si quæstio controversa sit Logica, physico, si physica, metaphysico, si metaphysica, Theologico, si Theologica & sic porro: Quos vero secundum nomen & significationem inæqualiter, facta scilicet aliquali mutatione ad diversas pertinere doctrinas videmus, inæqualiter etiam re ineamus, applicando nimirum absolute, ubi materia patitur; limitate, ubi materia exigit: Illos autem terminos, quorum nomen & significatio ubique in omni disciplina vel aliquibus saltem, simul obtinet, in qualibet controversia, quo tandem illa pertineat, admittere securi possumus, cum non exinde metuendum ne circumveniamur, esse enim ipsorum omni materiæ est idoneum.

C

neum.

neum. Lucem his addunt insignem, quæ D. Keslerus in *Tra-*
ctatu de illegitimo Photinianorum disputandi modo, & legitima ra-
tionem pie Philosophandi, quem præmisit Log. Photin. Sect. Poster.
membr. 2. can. 3. p. m. 23. reliquit; quare merentur adscribi: *Vo-*
ces quæ usitate sunt in Philosophia, & simul etiam in Theologia usur-
pantur, triplices sunt. Alia enim prorsus aliam significationem ha-
bent a Philosophica in Theologia, neque ex Philosophia in eam sunt
traductæ, ut justificatio, fides &c. alia ex Philosophia in Theologiam
traductæ sunt, retenta ex parte significatione, ex parte etiam mutata,
h. e. ablato rigore Philosophico, item remota imperfectione, tales
sunt proprietates, effectus &c. cum de DEO enunciatur. v. g. cum
dicitur alias proprietates Dei esse essentielles, alias personales, ut gi-
gnere & gigni, decreta Dei esse actiones & effectus ejus: alia deniq;
in eadem plane significatione ex Philosophia in Theologiam introdu-
ctæ rebus Divinis applicantur, ut causa, signum, distinctio realis, ra-
tionis, modalis &c. Ratione primi generis cavet Christianus Philoso-
phus, ne ex acceptione termini Philosophica significationem Theolo-
gicam metiatur, ut: de justificatione coram Deo & fide salvifica,
non judicat ex Ethica, sed duas & diversas significationes diversa-
rum disciplinarum accurate distinguit. Habet nimirum qualibet
disciplina suas significationes vocum, etsi voces sæpe sint eadem, ita
Jurisprudencia sæpe aliter accipit voces, quam Philosophia, ita Me-
dicina. Quin imo in distinctis disciplinis Philosophicis una & ea-
dem vox distinctas habet significationes, sic vox potentia aliter in
Metaphysica sumitur, aliter in Philosophia Practica, vox generis ali-
ter in Ethica, aliter in Logica &c. Ratione secundi generis cavet, ne
rigorem Philosophicum in Theologia urgeat, terminumque ab im-
perfectione prius defecat, quam de Divinis enunciet, ut infra doce-
bitur. Ratione tertii omnium facillime Philosophus Christianus in
terminis Philosophiæ rebus Theologicis applicandis versari potest, ut
cum queritur, sitne peccatum originis substantia an accidens, Philo-
sophus Christianus facile veritatem potest cognoscere, quia ex Theo-
logia præsuppositam habet naturam peccati originalis, ex Philoso-
phia vero novit, quæ sit ratio substantiæ, quæ accidentis, proinde sine
difficultate perspicit, utrum terminus substantiæ, an vero accidentis
peccato originali sit attribuendus.

XVIII. Diximus quoque superius conclusionem im-
mutando impediri, quod & sapissime in examinandis aliorum
opinionibus insuevit contingere, dum nimirum aliæ atque
aliæ novæ ac insolitæ terminis affinguntur significationes, quas
neque unanimis saniorum Doctorum consensus æstimat, ne-
que usus probat. Hoc modo si struuntur nobis insidiæ,
quæstioque redditur ambigua, ingenuos sequi disputatores
decebit, qui regia ceu tutissima amant incedere via atque ab
ea, quam disciplina quælibet singulis terminis semel notatio-
nem vel potestatem imposuit, nunquam regrediuntur juxta
monitum *Hug. Grotii* sæpius allegato loco §. 3. *In artium au-
tem vocabulis, quæ populus vix capit, adhibenda erit artis cujusque
prudentum definitio, ut quid sit majestas, quid parricidium. Vere
enim dictum a Cicerone Academicarum primo: Dialecticorum ver-
ba nulla sunt publica: suis utuntur: & id quidem commune omni-
um fere est artium.* Eundem in sensum scribit *Flacius in
Opere Log. Dialect. L. 1. cap. 13. p. m. 851. Quid vocabulo signi-
ficetur, vel ex iis cognoscere oportet, qui ejus linguæ periti sunt, sive
ex idoneis scriptoribus, nempe quando vocabulum est vulgo tritum
notumque. Vel ex artificibus atque sapientibus, siquidem vocabu-
lum sit artis alicujus vel scientiæ proprium. Verbi gratia: apud
Grammaticos habentur vocabula casus, declinatio, genus, partici-
pum. Apud Logicos species, differentia, demonstratio. Apud Phy-
sicos alteratio, motus, natura, materia, forma. Sæpe autem eandem
vocem aliter vulgus accipit, aliter artifices. Verbi gratia: Motus
vulgo fere tantum pro motu locali, Physicis latius patet, ut etiam al-
terationem complectatur & augmentum & decrementum. Atque
hæc distinguere oportet. Idcirco & nos facta ejusmodi ab ad-
versariis termini cujusdam depravatione refugiamus ad ipsius
disciplinam, cui suos debet natales, & videamus inde, qualem
ac quantam vim ei illa tribuerit. Et quamvis hoc non diffici-
le sit examinare, ad quam quisque terminus disciplinam sive
scientiam, & ad quam scientiæ ejus partem pertineat, uti quo-
que *Corn. Martini in cit. Tract. de Anal. Log. Part. alt. de Anal. Mat.
c. 2. p. m. 174.* putat, & dicit: *Considera ipsos terminos, & unusquis-
que patriam suam facile tibi ostendet, melioris tamen certitudinis**

gratia, & ne forte alicubi hæreamus, commodissimas observare possumus regulas, quas *Dannb. Id, B. I. Part. 1. sect. 3. Art. 7. §. 74. 75. p. m. 134. 135.* suppeditat. I. Terminos artis eos, qui sunt notionis secunda, ut sunt: genus, species, definitive explicare logici est: eos vero, qui sunt notionis prima, ut sunt causa, instrumentum, substantia, accidens, absolutum, respectivum &c. est juris metaphysici. II. Termini reales ex communi bonorum autorum usu & ex illa disciplina exponi debent, in qua sunt quasi domi: E. c. termini morales & politici ex Philosophia practica; termini metaphysici ex Metaphysica, Physici, Arithmetici, Geometrici &c. quivis ex suis disciplinis. Add. seqq.

XIX. Atque hanc termini definitionem, quam disciplina, ars vel scientia, ad quam spectat, cumque ea hujus simul periti prudentissimique suppeditant, quilibet justissime in quacunque quaestione decidenda retinebit ubique, nec ab ea ullum se removere patietur, multo minus abrogare eam, aut aliam diversam, novam, insolitam ac prorsus inutilem in receptæ definitionis locum substituere poterit; Hoc enim summi Philosophi, quibus veritatem indagare curæ cordique fuit, a primordio statim accuratioris doctrinæ frequentius monuere, ut scilicet quilibet disputatur⁹ probe caveat, ne terminos certis disciplinis aut facultatibus proprios sumat ut libet, sed ut usu licet, merosque lusus Sophisticos (qui tamen a cordatioribus ac prudentioribus prohibentur) & doctas nugas judicant, si nativi & usu recepti valores terminorum evertantur, corrumpanturque. Hoc communi cum *Theologorum* ac *Juristarum* magni nominis, tum *Philosophorum* celeberrimorum, ipsius *Aristotelis*, & quod veneramur, Præceptorum nostrorum judicio stante (stabit vero, quamdiu orbis eruditorum stabit), sane neutiquam libertas terminos fingendi & explicandi cujusvis arbitrio relinquere poterit, utut vel maxime pariter aliis lubentissime concedat potestatem accipiendi terminos eorumque significationem quousque velint flectendi. Nam si ullibi, hic forsitan obtinet illud: Quod quis non habet, alteri dare non potest. Quid? quod hoc esset idem ac aliis dare voluisse jus quosvis errores ac nova dogmata palliandi. Evitamus
hac

hac ratione in disputando prolixitatem incommodam, dum in talismodi terminorum acceptione debita non opus habemus nominalibus definitionibus impositivis, ut vocant, terminorumque vocabulariorum recitationibus in seculorum secula, quas narrationibus suis superaddere necessum habent illi, qui terminos immutandi licentiam in conflictu largiuntur, & ab aliis sibi concedi postulant; id quod forte ultro sunt acturi. Qua ergo ratione haberent hæ definitiones fundamentum suum ab usu communi, quo tacita vel expressa conventione hominum alias terminis significativis suus valor imponitur? cum nullam significationem habeant. *Significatio enim, quam non probat usus, nulla est. Et hoc qui negat, id negat, de quo ob evidentiam nemo dubitat.* Verba sunt omni exceptione majora, Viri summi iudicii ac auctoritatis, *Dn. D. Johannis Musei, Præceptoris nostri maxima observantia colendi, dispp. de vocum significationibus II. §. 22.* qui pluribus *ibidem* ut & *precedenti dispp.* videatur. Nec est, quod dicatur, non opus esse fundamento, cū sola hominis ita terminos accipientis voluntas pro ratione ac fundamento stare possit, ut quia is effata sua demonstrativa hoc sibi que grato verborum involucro profert, nequeat de ipsius doctrinis ac demonstrationibus recte judicari, nisi percipiatur & intelligatur, quo sensu verbis utatur, quia ridiculum, esset alicui prius annuere vel abnuere velle, quam quid velit aperuisset: Sed annon iste, qui terminos ita pro suo arbitrio fingit aut iis novam significationem pro lubitu affingit, (sic vult, sic loquitur, stat pro ratione voluntas) vocibus uti voluit ad significandum? Eo ipso igitur risus materiam suggerit, dum vocibus utitur ad significandum, & tamen nullam significationem relinquit: nam uti modo ostendebatur, *significatio, quam non probat usus, nulla est.* Ipse ergo dum nova ac nullo usu probata significatione utitur, perinde est, ac si nulla significatione usus fuisset. Unde qui non vult loqui, ut intelligatur, vix dignus est, qui audiatur. Tantum ergo abest, ut integrum sit cuilibet in realibus occupato definire, quid per terminos suos aut loquendi modum velit intellectum, modo postmodum in doctrinis ac demonstrationibus suis eo modo terminis utatur,

tur, quo definire eos prius ipsi libuisset, ut potius qui genio suo sic indulget ac novitatibus suis, aperte prodat, se etiam dum in realibus se occupari putat, in nihilo minus quam in realibus occupari magnamque partem demonstrationum suarum circa voces consumere, quod vitium cordatis Philosophis, cum primis in moralibus & politicis, ubi alias periculosius errari contingit, cum uti moralia & politica discuntur, sic in Republ. vivatur, apprime cavendum est. Et quid tandem hic modus fingendi accipiendique terminos pro lubitu disputaturis prodesse queat, perspicui vix unquam poterit. Nam si quis absentem haberet adversarium, fieri vix posset, ut disputator iste singulorum terminorum, quos omnes pro lubitu suo acciperet, tam prolificam explicationem scripto complecteretur, & quandoque plura grandiora volumina omnium acceptionum deductionibus vix sufficerent, quæ ibidem continerentur, & præterea fere nihil. Quod si vero quispiam cum præsentem congrederetur, & hac nova methodo procedendum esset, nihil ulterius per totum disputationis actum, cui vel integer dies impenderetur, posset effici, saltim indefinenter de cujusvis vocis in medium prolata acceptione aut pro lubitu determinata vel imposita significatione quæstiones fierent; Hoc enim si negligere- tur, & interim licitum esset voces terminorum ad quoslibet sensus detorquere, perpetuis confunderemur homonymiis, & fieret, ut non dextre magis nos invicem intelligeremus quam Babylonicæ turris structores: Proinde unice vocibus ambiguis detineremur, quo minus nobis liceret sequi in disputando eos, qui de re ipsa sunt solliciti, & philosophari malunt, quam *λογομαχεῖν*, id est, de vocabulis rixari cum Sophistis, quos propter verborum concertationem & contentionem Galenus corvos & graculos eleganter nominat, si iudicio standum Job. Noldelii in *Illustri Academia Lipsiensi Philosoph. quondam clariss. Instit. de Usu Org. Aristot. P. 3. c. 6. §. 28. p. m. 187.* magisque assimilaremur his, qui cortices rerum lambunt, medullam ipsam non attingunt *Id. l. c. §. 29. p. m. 188.* Alia infinita incommoda, quæ charta & tempus excludunt, nunc taceamus.

XX. Non ergo absque rationibus fortiter hæctenus pu-
rio-

rioris scientiæ Propugnatores celeberrimi hisce novitatibus re-
 stitere ac voce styloque fuere refragati. Forte non perdide-
 runt operam, dum non minus his, qui præter necessitatem ac
 utilitatem variis significationibus ampliari tentarunt termi-
 nos, atque illis, quibus animus erat in re veteri novos, antea
 inauditos, omnibusque disciplinis & artibus ignotos superin-
 ducere, dicam scripserunt, & utrorumque ceu cognatorum
 machinationes æque inutiles destruxerunt. Quod etiam non
 minus feliciter quam operose egit *CL. Danb. Id. B. I. Part. 1. §. 3.*
Art. 7. §. 24. p. m. 135. his verbis: *Prohibitio νεωφωρίας perti-*
net ad partis adverse patronos refellendos, qui audaci quadam ὀνομα-
στο τοῖαις licentia termino veteri in hoc sensu tot seculis inusitato im-
ponunt novam significationem. E. g. fingunt normam partialem, ut
Bellarminus, cujusmodi mensuram jam olim rejecit Aristoteles l. 10.
Metaph. c. 1. substantiam id esse dicunt, quod naturale alicui est, ut
Flacius; exempla alia, quæ odiosa sunt, prætereo. Quasi sapienti
 datum sit novis veterum terminorum impositionibus absque populi
 suffragio crucem figere suis lectoribus: quasi non ita consentiendum
 sit omnibus doctis in communi terminorum acceptione (quos *Logicus*
 vel *Metaphysicus* exponit non e suo cerebro, sed ex consensu omnium,
 quotquot a nata quasi sapientia hucusque vixerunt, sapientum) sicut
 mercatores omnes in pretio nummorum conveniunt. Secus non
 magis juvabitur eruditio, quam edificari potuit turris Babelica. Et *Id.*
B. D. sect. 1. cap. 1. Art. 5. §. 19. p. m. 42. Tum se hi termini jure præ-
 scriptionis tueri possunt, multis enim retro seculis obtinuerunt, quis
 igitur e possessione eos extrudet? Item *Keslerus in supra cit. Tract.*
de Illegitimo Photinian. disputandi methodo, & legitima ratione pie
philosophandi, Log. Photin. præm. sect. post. membr. 1. cap. 2. p. m. 15.
 quando scripsit: *Philosophus Christianus non delectatur vel ter-*
minos vel phrasas novas temere introducendi studio. Respicit nam-
 que 1. *Necessitatis absentiam, sicut entia non sunt multiplicanda præ-*
ter necessitatem, ita nec vocabula & modi loquendi, præsertim in
Theologia, ubi caute admodum loquendum est, & ut animos piorum,
ita & voces easdem esse convenit. Memor ergo est illius: *Qui fin-*
git nova verba, simul nova dogmata fingit. 2. *Scandalum.* Sæpe
 fit ut per introductionem novorum terminorum vel phrasum animi
 impe-

imperitiorum offendantur, in malam partem etiam bono animo pro-
lata accipiantur &c. 3. *Æquitatem*: Æquum namq; est, ut in termino-
rum usurpatione consensum prudentum sequamur. Unde in Philoso-
phia succensetur novatoribus, qui terminos privato ausu sine necessita-
te introducunt, receptosq; loco movent. Hæc ille. Plato vetuit Philo-
sophos esse ῥημάτων δόλως. Aristot. I. Top. c. 24. ἑυλαβητέον dixit τὸ
πρὸς τὸ νόμα λέγειν, quæ verba Nicolaus Gruterus sic inter-
pretatur: *Iis omnibus, qui cum ratione & vere disserere volunt, hoc
omnino fugiendum est, ne eorum versetur in nomine disputatio & con-
troversia.* Galenus ait: *Qui amat logomachias, nunquam per-
veniet ad solidam eruditionem.* Erasmus epistola in Hilarium: *Vi-
deo quosdam præ novis libellis, qui nunc undique provolant, veteres
auctores fastidire in tantum, ut & velut sexagenarios, quod est in
proverbio, de ponte deturbandos esse existiment: Ego vero, ut non
arbitror aspernandum, si quid horum temporum ingenia vel exco-
gitarint vel instaurarint: ita mentis est improba vetustati non suum
honorem deferre, ingrata vero etiam eos rejicere, quorum industrie
tantum debet orbis literarius.* Petrus Johannes Nunnesius in suo con-
silio de recte conficiendo curriculo Peripateticæ Philosophiæ deq; do-
centis ac discipulis officio c. 5. n. 75. p. m. 84. *Nemo sibi persuadeat,
cum dicuntur nomina voluntaria, id ita accipiendum, quasi liceat
cuivis, quo nomine velit, in quaque re uti.* Aristoteles, quo magi-
stro Peripatetici philosophari didicerunt, verborum proprietatem,
magno studio sectatur. Hugo Grotius II. de J. B. & P. c. 20. §. 23. &
c. 16. §. 2. *Usus loquendi dominus, quem penes arbitrium est, &
jus, & norma loquendi.* Celeberrimus Conringius in introductio-
ne sua in naturalem Philosophiam cap. 1. tb. 3. *Ridiculum atque
inane est contra receptam vocabulorum acceptionem multa consti-
tuere.* Certe insaniæ est proximum, hisce novitatibus acumen inge-
nii ostentare velle, proque excusanda tanta insolentia convitiis pro-
scindere antiquitatem. Megalander Lutherus Tom. 3. Jen. de
servo arbitrio p. 590. *Sic sentiamus, ubique inherendum esse simplici
pureque & naturali verborum significationi, quam usus loquendi ha-
bet &c.* Nobis omnibus venerabilis Dn. D. Johannes Musæus
notat ante laudatis dissertationibus de vocum significationibus se
in his omnibus facillime impetraturum eruditorum consensum, quod

voces & in quavis solida Philosophia, & cum primis in Theologia ita sint sumenda, ut usus eas probat, & non ex cujusvis cerebello tantum consingenda sint. Vid. in primis *diff. I. §. 5. & diff. II. §. 11.* Plura magnorum Virorum judicia ac testimonia in tribus egregiis istis dissertationibus videre est. Insignis Theologus *Martinus Chemnitius tractatu suo de necessitate B. O. part. 3. LL. Theol. Loc. de B. O. Usitatum artificium est, quando rebus ipsis bellum indicitur, quod insidiosè moventur contentiones de modis loquendi. Dum enim plerique existimant tantum inanes esse λογωμαχίας, minus curantur & observantur adversariorum machinationes &c.* Nec mirari subeat, cur nostrates Theologi summe venerandi in id, quod dicimus de novis terminorum acceptionibus, omnes consentiant, cum ipse Spiritus Sanctus in sacris Scripturis ad communem & receptam loquendi consuetudinem se accommodet: *Vocum enim usus & quantum ad propriam, & quantum ad tropicam significationem in sacris literis alias est idem, qui in profanis Scriptoribus & communi loquendi consuetudine. Esa. VIII. 1. DEus T. O. M. jubet Prophetam scribere יְהוָה בְּחַרְטִי stylo hominis b. e. manifesto & verbis humanis literisque notis, ut omnes, etiam ἄπλοιοι & simplices possent id, quod erat scribendum, intelligere vocumque adhibitaram significationem ex recepto loquendi usu assequi, verba sunt Dni D. Joh. Musæi, Præceptoris nostri honoratissimi, disp. 1. de vocum significationibus in genere §. 5. qui, ut & ab ipso commendatus B. Glassius Philol. Sacr. L. 1. Tr. 3. f. 2. consulatur. Huc spectat ipsissimum Spiritus S. judicium 2. Tim. II. 14. Noli contendere verbis λογωμαχίῃν & v. 16. profanos de rebus inanibus clamores, νενοφωρίας, cohibe & v. 23. stultas autem & ineruditas questiones respue &c. Probatur idem quod dicimus omnium celebriorum Jctorum consensu. Egregie Callistratus: Optima legum interpres est consuetudo l. si de interpr. 37. D. de legibus. Add. l. Nam Imperator 38. D. eod. tit. l. non aliter 69. D. de legatis & fidei commissis III. Conf. Dion. Gothofredi Jcti annot. in b. l. & Hug. Grotii l. II. c. 16. de interpretatione. Quæ ergo communiter ita videntur, fida sunt, illaque omnium dissensio saltim merito suspectam reddit novam illam philosophandi rationem, cui*

D

for-

forſan objicere liceat, quod ille dicebat: καλὸς θεὸς εἶμι, & μόνος ἀνθρώπων ὄρα.

XXI. Sed forte adhuc videri queat ea, quæ aſſeruimus, impugnari poſſe, non uno argumento. *Primum* enim quique Logices Magiſtri cōcedunt, quod voces ſignificent ex hominum arbitrio, & valeant ſicut nummi. Quomodo Diodorus, ut obſervat *Simplicius in Categor.* Servum ſuum appellabat nomine conjunctionis græce ἀλλὰ μὲν, id eſt, atqui, ut irrideret eos Philoſophos, qui natura nomina ſignificare arbitrabantur. Sic vulgo *Johannes Contra*, homo contradicendi ſtudio nominatus. *Deinde*, facilior erit via ad ſolidam eruditionem, ſi non amplius neceſſum habeas magno labore inquirere vocum ſignificationes, ſi voces ſumas pro lubitu, alterique integrum relinquant ex te quærere, quomodo hanc vel illam, vocem acceperis. *Tertio*, ad minimum in derivatis ſignificatio non ex uſu, ſed ex derivatione cognoscenda erit. Ex hiſce, igitur conſtat, ſaltem per eſſe veriſimile, quod ſignificationes vocum non ſemper ex uſu dijudicandæ ſint. Verum enimvero hæc Viris prudentioribus forſan nunquam probare ſe poterunt, imo exiguam quoque ſpeciem veri habent. Ad *primum* dicendum, quod inde nondum ſequatur, quaſi quiſque accipere quodvis vocabulum queat in ea ſignificatione, quam ipſe definit pro lubitu. Prolixe ac ſufficiēter ea expoſuit maxime venerandus *Dn. D. Johannes Muſæus diſſertationum de vocum ſignificatione prima tb. 2. & ſeq.* ubi diſtinguit inter principium, ex quo cognoscenda eſt cujuſlibet vocis ſignificatio, paulo remotius & inter principium propinquius. *Negari quidem nequit voces, quia non ſignificant naturaliter, habere ſuam vim ſignificandi ex primi autoris arbitrio ſeu voluntate. Propterea enim ſignificat homo hominem & lapis lapidem, quia primus autor voluit ea voce uti ad illam vel iſtam rem ſignificandam. Ex ſe autem vox lapidis non majorem habet vim ſignificandi lapidem, quam vox hominis aut felis &c. Conſervatur illa primi autoris voluntas in poſteris, qui iſdem vocibus in eadem ſignificatione, qua primus autor voluit, utuntur, ſicut primi autoris vel legiſlatoris voluntas dicitur conſervari*

apo.

a posteris, quando lex in eo vigore, quo ipse voluit, ab iis conservatur. Sed principium hoc paulo est remotius, siquidem constat 1. nos non posse esse certos de primi autoris voluntate, nisi quatenus a posteris partim scriptis, quæ appellamus classica, partim viva voce ipso usu ad nos delata est. 2. quia etiam primi autoris voluntas potest antiquari, quod fit per non usum seu abrogationem, ut inter alia apparet ex multis vocabulis desitis, quorum usus hodie non amplius est; partim per significationis immutationem, quæ potest accidere vel per aliquem abusum, vel per consuetudinem, vel alias ob causas. Hinc principium propinquius requiritur, ex quo cognoscenda est cujuslibet vocis significatio. Placuit ipsa verba summe venerandi Præceptoris Dn. D. Musæi huc transcribere, quia plane eximiæ istæ & sæpius a nobis laudatæ *Dissertationes* in paucorum sunt manibus. Ad hoc vero propinquius principium determinandum opus est distinctione inter vocabula popularia & technica: Illa iterum vel sunt classica, & sic principium propinquius, ex quo cognoscenda est eorum significatio, sunt scripta Autorum Classicorum, in quibus primi autoris voluntas, quantum ad hoc, continetur, quatenus a posteritate partim confirmata, partim antiquata est; vel alias consuetudine plebis trita, licet in Classicis Autoribus non inveniantur, hæcque suam significationem cognoscendam relinquunt ex populari aut vulgari usu. In Technicis vocabulis, h. e. artibus & disciplinis propriis, quæ sane vocabula populus vix capit, adhibenda est artis aut disciplinæ cuiusque prudentum definitio, h. e. eorum significatio dijudicanda venit ex usu loquendi apud Viros illius artis aut disciplinæ peritissimos inque ea versatissimos recepto. Qua enim ratione popularia vocabula populari ex usu, Classica ex Autorum Classicorum scriptis: hac certe technica ex usu apud artis cuiusque prudentissimos recepto intelligenda sunt. Sermonem quidem utendum ut nummo, nummum vero intellige, cui publica forma est. *Ad secundum*: Si quisque ex suo cerebello acceptiones vocum confingere & neutiquam attendere vellet, numne usus eas probet vel admittat, quanta confusio omnium terminorum ac doctrinarum inde secutura esset, cum nunc

quoque constitutis publicis Scholis & acroateriis ægre reprimatur pruritus contradicendi magni nominis Doctoribus probatisque Præceptoribus. Imo hac ratione quisque suas nugas, vanitates, contradictiones, ἀσυνλογισίας, imo quivis hæreticus suas heterodoxas doctrinas ac fanaticas opiniones palliare posset. In quo summe venerandi Dni. D. Musæi iudicio merito acquiescimus. Et quid opus est aliorum arbitrio relinquere facultatem quærendi, quomodo hæc vel illa vox ab alio accepta fuerit? Sane loquatur quis cum usu optimo loquendi magistro, sic non opus habet, ut aureum tempus expectatione vanarum quæstionum perdat. *Ad tertium:* Sic nos accuratissime docet Dn. D. Musæus: *Aliud est, quando queritur, quid vox possit ratione suæ originis significare? Aliud est, quando queritur quid vox actu significet? Prius possumus ex primitivis cognoscere, quia ex derivatione ostendi potest, quid vox possit significare ratione suæ originis: Posterius autem, quid nempe actu significet, ex usu & auctoritate est addiscendum.* Quæro, pergunt summus Vir, an semper procedat illa argumentatio a derivatione desumpta, an non? Si hoc, 1. reddatur ratio, cur in uno procedat, & non in altero. 2. qui salva maneat regula Logica, a particulari non esse argumentandum ad universale. Nam sicut non recte colligo: aliquod animal est quadrupes E. & homo est quadrupes, ita & male colligeret, qui sic colligeret: aliquod derivatum suam significationem habet a primitivo, ita ut non confugiendum sit ad auctoritatem E. & hæc vox, illa vox &c. Si illud, ego similiter argumentabor: ארבע דברים dicitur ab ארבעה rubuit. E. non significat terram proprie, sed quodlibet rubicundum. בית dicitur a בנה edificavit. Ergo non significat proprie filium, sed edificium. Homo dicitur ab humo Ergo non significat hominem, sed terreum quid &c. quæ singula absurda esse, puto quemlibet palpitare. Tantum de hac materia. Unicum superpondii loco adjicimus, quando de significatione morali, politica &c. hujus vel illius termini lis movetur illis, qui arbitrio cujusvis relinquunt jus accipiendi terminos in quacunque significatione modo voluerint, lis non est grammatica. Suis enim terminis Morales Philosophi, Politici utuntur, suis Grammatici, & id quidem commune omnium est disciplinarum. XXII.

XXII. Sed ea, in qua superius substitimus via, ulterius nunc est progrediendum, vel potius annectendum illud, quod statum controversiæ recte formare volens nosse debeat, quæ ratione ipse & adversarius in terminis contradicentibus circa statum controversiæ versari possint ac debeant, ut ita sciat, quo fundamento quid sit negandum, quove quid admittendum: Alias fieri posset, ut quis diceretur disputasse, nec tamen controversisse, quod absurdum. Effert hoc more suo satis nervose *Corn. Martini in cit. de anal. Log. tract. part. 1. de anal. form. c. 2. p. m. 32. Videndum an & quomodo questioni contradicatur?* Cum enim omnis, qui de re aliqua disputat, adversarium aut habeat, aut habere se statuat (*Si enim tam evidens res sit, ut ei contradici nequeat, aut nulla aut certe valde exigua institutione opus fuerit*) Omnino caute observari debet, qua ratione posita thesi contradicat, quod nisi facias, turpis oriatur ignoratio elenchi, ut tu de cepis quæras, alter respondeat de alliis. Paucis porro interjectis p. 25. Postremo & hoc metuere habetis, ne vobis quoque ipsis ab homine vafro imponatur, nisi diligentissime in omnes circumstantias illius status inquiretis, & quomodo illi contradicendum sit pervideatis. Item *Dank. Id. B. D. sect. 1. cap. 3. Art. 1. §. 36. p. m. 87. Id omnino spectandum, ut & statum controversiæ, sive id, quod in questione est, exactissime percipias, removendo ea, de quibus nulla est disputatio, eligendo, quæ in questionem veniunt, & ei recte contradicere noris, quod conclusio opponentis semper debeat esse contradictorie opposita thesi respondentis, nisi in vanum quis pugnare ventosque laceffere ietibus velit (Germani vocant *Luffstreich*.) Nisi enim statui contradicatur, tam longe disputatio discrepabit a vera disputatione, quantum differt puerorum arundine & calamis pugnantium concertatio a vero pralio.*

XXIII. Repeti hic possent singula veræ ac justæ contradictionis requisita ex Logicis, quæ tamen pagina non capit, quare hoc saltem notasse sufficiat, quod quilibet diligenter observare debeat, ut statim, constituto controversiæ statu, illo modo & iisdem circumstantiis, recte, & ut loquuntur, formaliter ei contradicatur, ut ita inter ipsum & adversarium sit affirmatio & negatio de eodem subjecto, secundum idem, id est, ean-

idem partem, ad idem, ut scilicet subiectum sit utrobique prorsus idem, eodem respectu, iisdem circumstantiis, nec ὁμωνύμως. Plura si quis desiderat, adire poterit *Corn. Martini de Anal. Form. Tract. cit. c. 2 ut & Danb. I. D. sect. 2. c. 1. Art. 10. §. 32. p. m. 167. seqq.* Atque huius formalis quidem, non vero ejus, quæ est in adjecto, contradictionis necessitas in omni, quale etiam sit, disputationis genere obtinet, modo veritatis gratia suscipiatur. *Nulla enim est artium vel scientiarum, quæ se ab hac lege excusare possit aut debeat, siquidem in inquisitione veritatis disputando sit occupata. Disputare enim velle, nec rationem contradicendi scire, magna est infantia aut infamia, inquit Corn. Mart. l. c.*

XXIV. Et tantum de *statu controversiæ recte formando*, quæ omnia fusius & accuratius deduci potuissent, sed forte meliora & accuratiora alio die dabimus. Animus quidem erat insignem huius doctrinæ usum simulque detestabilem abusum illustribus luculentissimisque exemplis Moralibus, Politicis, Theologicis, Juridicis declarare, imo dum hæc nostra dissertatio prelo calere incipiebat, hic præcipuus finis suscepti laboris, sed quia quaterniones præter spem excreverunt, commodiori occasione hanc præmeditatam operam tenemur reservare. Liceat unum alterumve exemplum vel colophonis loco obiter attingere: *Quæstio inter Nostrates Theologos & Reformatos agitatur: Utrum corpus & sanguis Christi in sacra cœna vere & realiter sint præsentia?* Ex his certe quosdam videas conqueri de injuria sibi illata, quod videlicet ipsis affingatur, ac si tueantur negativam, cum tamen affirmativæ sententiæ Patroni sint. Sed Jacobi vox, *Esa-vi manus.* Mutant controversiæ statum. Nam dum affirmativam defendunt, ludunt appellatione realis præsentia, & vocant realem præsentiam, in ordine ad fidem. Sed hæc ratione realiter essent præsentia, de quibus modo cogitares quæque vere appeteres. Quis vero ita loquitur? *Quæstio Juridica est de præstatione damnorum, quotuplex ea sit? Communis & recepta est sententia, quod tria sint, de quibus præstandis, ubi res perit, in omnibus pene contractibus aliisque negotiis agatur: Dolus, Culpa & Casus fortuitus. Nonnemo contradicit & addit quartum, nempe negligentiam, sed ἀλόγως contradicit: Hoc enim Jctis est culpa, quod ipse negligentiam vocat, culpam ut in materia delictorum accipitur, a culpa, ut in materia contractuum sumitur, nesciens distinguere. Quæstio moralis est: An dentur actus necessario turpes? Affirmativa est recepta apud Philosophos, Theologos & Jctos, at nonnemo contradicit nullumque actum necessario turpem statuit, sed vult contingenter turpes esse illos actus, quos communis consensus necessario turpes judicat, e. gr. contingenter turpe esse adulterium, quatenus contingit committi ab homine, ut est rationalis. Hocne satis erat causæ, cur receptam sententiam horribiliter absurdam & quæ nihil stolidius fingi posset, argueret. Annon tale intelligere debuisset prædicatum, quale permittitur a suo subiecto? Tantum hac vice, Moniti meliora sequemur.*

00 A 6406

ULB Halle 3
002 916 622





56

Retro V

VDMA







VORTAT!
 DE
 CON-
 ERSIÆ.
 R A T O R E
 NO *Wetthem*/
 f. Publ. ordinario
 l. h. t. DECANO,
 e disputat,
 tter / HALLENSIS SAXO,
 ESPONDENS,
August.
 M. DC. LXXV.
 N Æ,
 INIS WERTHERI,
 raphi Ducalis.